

à quo (timore Dei concussi) plus sibi timebant, quām illi poterāt formidinis incutere. Eo tempore (verè hoc prædicare licet) quū eos interrogarem quo loco Noui testamēti aliquid esset scriptū, sine fronte, velut meretrices, apud Hieronymum quidem, aut in Decretis illud se legisse respondebant: quid verò Nouum testamentum esset, ignorare: ignari scilicet à tergo Veteris testamenti, Nouū imprimi solere. Prodigiosum fere erit quod dicam, verissimum tamen est, ac plusquam comprobatū: ante paucos annos quēdam eiusdē Collegij quotidie sic loqui solitum, Miror quòd isti iuuenes allegāt nobis Nouum testamentum: per diem ego habebam plus quām quinquaginta annos quòd nesciebam quid esset Nouum testamentum. Ocæcitatem, simūlque desperatam impudentiam. Compressis postea eorum furoribus, vel saltem placata tam ingēti rabie, quòd pollicitus essem me nihil postea, nisi cum bona eorum gratia facturum: elapsis annis septē, M. D. X L, Biblia rursum excudo, in quibus multa ex vetusto codice repono: verā lectionē Hebræis codicibus congruentem ad margines notans, nomine codicis scripti ad-